

Valahfridus (Wilfried Stroh):

Gustauus Mahler Latinista culinarius¹

Pierides Musae quam lingua saepe Latina
cantant! Sic ueterum iam docuere libri.
Blanda mele fidibus qui scit miscere sonoris,
non laruam Tulli censeat esse caput.

Sic iuuat Latine reddere uersus, quos olim AD 1718 Georgius Philippus Telemann, tum
musicorum Germanorum facile princeps, multo facetius lusit:²

Musik kann mit Latein sich wohl verknüpfen lassen,
wie dies das Altertum vorlängst schon dargetan.
Ein Kopf, der fähig ist, die Harmonie zu fassen,
sieht auch den Cicero für keinen Kobold an.

Verum profecto est quod de uetustate dicit. Quis enim nescit Horatium ipsum *Romanae fidicinem lyrae* docuisse iuuentutem Romanam ad sui *pollicis ictum*, quo citharam temperauit, cantare illud *Carmen saeculare*. Nec saeculis his nostris defuerunt musici qui suos modos Latinis carminibus accomodarent. Pauci tamen et ipsi Latine loqui aut scribere ausi sunt, inter quos sine dubio Ianus Novák Morauus primum gradum obtinet.³

Minorem sane locum occupat etiam Gustauus Mahler compositor diuinus, non tam quod in illa *Mille uocum symphonia* (i.e. „Symphonie der Tausend“) hymnum notissimum, qui incipit a *Veni creator spiritus*, modis suauibus ornauit, quam quod interdum Latina lingua animi causa usus aut paene abusus est. Curauit enim sedulo ut contra genium Latinitatis omnia ad Teutonici sermonis consuetudinem detorqueret – quam nos Latinitatem culinariam aut plus quam culinariam solemus uocare. Cuius rei lepidum exemplum nuper protulit Franciscus Willnauer musicologus illustrissimus in eo libro quo multas Mahleri epistulas edidit primus.⁴

Scripsit igitur Gustauus m. Nou. 1895 ad Hermannum Behn, hominem tam lusibus quam Musis amicum:

Carissime!

Mei humores non sunt mihi ad meum iussum quam tuae – meum Latinum est longe oblitum.

Cape ante carum cum paucis.

Mea soror fit tibi dare non lupum in fabula – sed fabulam lupi.

Quam tibi placet Lupi antehabere?

Sine me scire tuam opinionem et si tu bene dormisti et satis?

Salus omnibus tuis et tibi, care!

In moxam revisionem!

tuus Gustauus.

Molestum sit omnia notare, quae Gustauus, qui Latine in gymnasio Iglaiensi (i.e. in urbe Moraua Iglau posito) didicerat,⁵ hic libidine quadam peccandi deliquit. Quorum grauissimum fortasse est, quod *fit dare* scripsit pro „wird geben“. Sed in usum eorum, qui Germanicum sermonem minus callent, proderit fortasse aliquam partem culinae ex hac epistula remouere

¹ Quod hunc lusum diligentissime perlegit et emendauit, gratias debeo Carolo Augusto Neuhausen.

² Secutus sum Jürgen Leonhardt, *Latein: Geschichte einer Weltsprache*, Monachii 2009, 250.

³ Cf. Ianum Novák, *Musica poetica Latina: De versibus Latinis modulandis*, ed. W. Stroh, Monachii 2001.

⁴ *Gustav Mahler: „In Eile – wie immer!“*. Neue unbekannte Briefe hg. von Franz Willnauer, Vindobonae 2016. Ibi epistula nostra est in pp. 122 sq.

⁵ Donald Mitchell, *Gustav Mahler: The Wunderhorn years: Chronicles and commentaries*, Londini (1975) 2005, 55. Postea Mahlerus in Vniuersitate Vindobonensi duo semestria etiam philosophiae litterisque antiquis studuisse dicitur.

eamque in paulo purius dicendi genus transferre. Addendae erunt etiam pauculae notae. Sic igitur sonabit:

Gustauus Arminio suo s.

Non tanta mihi praesto est animi festiuitas, quanta tibi, amice care, suppetit. Nam ego dudum Latine dedidici.

[Inde perspicuum uidetur iam Hermannum Latine epistolium scripsisse ad Gustauum, qui hic ueniam petit quod par pari referre non possit. *Humores* quos dicat obscurius est: Willmauerus reddit „gute Laune“. *Ad iussum* certe est „zu Gebot“. *Pro tuae* exspectes *tibi*. *An tuae* est *tuae uxoris* – ut illa scripserit?]

Contentus esto paucis.

[*ante carum* est „vorlieb“. Plura igitur scripsisse puto Hermannum.]

Soror mea tibi dabit non lupum in fabula – sed fabulam lupi.

[Vtitur Gustauus notissimo prouerbio iam Romano: dicimus enim *lupum in fabula*, cum is cuius mentio est, subito ipse quasi in scaenam uenit. Sed solitus sensus hic peruertitur. Significat enim, ut Willnauerus acute explicat, acroasin symphoniacam, quam Hermann Wolff – is est *lupus* – adornaturus sit. Quae autem hic partes *sororis* sint, non liquet.]

Quomodo tibi Lupi propositum placet?

[*antehabere* iocose pro „Vorhaben“.]

Fac ut sciam de hac re quid sentias, etiam num bene ac satis multum dormiueris.

Saluere tuos et te, mi amice, iubeo.

Curabimus ut mox inter nos reuisamus.

Vale.

Sed quam languent haec mea uerba ad normam Donati aliquatenus perpolita prae Gustai ingenio barbaro! Speremus igitur talium epistularum editionem nouam et eam quidem – moxam.